



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

25. Charitas in temporis accuratione.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



*Petitio.*

Dilata, Domine, cor meum charitate; quâ legem tuam perfectè impleam, & viam mandatorum tuorum alacriter decurram; ut cum Vate Regio afferere valeam: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatâsti cor meum.* Psal. 118. 32. donec ad viæ & vitæ hujus metam, patriamque caelestem perveniam.

*Aspirationes.*

I. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. c. 19. 17.

II. *Tu mandâsti, mandata tua custodiri nimis; utinam dirigantur via mea ad custodiendas justificationes tuas.* Psal. 118.

III. *Custodiam legem tuam semper, in saeculum, & in saeculum saeculi.* Psal. 118.

## P A S S U S XXV.

Charitas in cura temporis.

## T E X T U S.

*Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Eccli. c. 14. 14.

Cogni-



*Cognitio.*

**T**Empus, ex mente Aristotelis, est numerus motus, secundum prius & posterius. Aliud est præsens, aliud præteritum, aliud futurum. Hoc tempus est breve, quia instar fulguris avolat. Est irrevocabile, quia semel elapsum, reduci nequit. Est nobile & pretiosum, quia nullo auro, argento ve emi aut solvi potest. Ideoque amor DEI amantem excitat, ut tempus illud pro lucris æternis concessum, magni æstimet, ac minimè negligat: sed singulis temporum spatiis pro Dei gloria & æternitate laboret, coronamque sibi perennem, pro cœlesti patria, fabricet: cogitetque cum pictorum principe: *Pingo æternitati. Lego, scribo, studeo, oro, laboro, æternitati.*

*Dilectio.*

**O** Dator temporis, & Rex æternitatis! quantâ diligentia & accuratione hoc breve vitæ meæ spatium mihi impendendum foret, ut Te in cœlo majore amore, laude, gloria prosequi possem totâ æternitate? **O** quæ lingua ineffabile & immensum temporis pretium exprimat? Dicant damnati, quanto emerent pretio vel unam pœnitentiæ agenda horulam. Loquantur Beati, quanti æstimarent unam, meritis augendis,  
con-



concedendam dieculam. Et quàm pauci mortales hoc debite apprehendunt? *Volat verbum irrevocabile; volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens, quid amittat. Liber fabulari, ajunt, donec pratereat hora. O donec hora pratereat! quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio Conditoris indulserat. O donec transeat tempus! quo divinam debueras propitiare pietatem, propere ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. S. Bern. ad Schol. O deflendam cœcitatem & incuriam mortalium! nihil pretiosius tempore, & heu nihil hodie vilius reputatur, transeunt dies salutis, & nemo recogitat!*

### *Petitio.*

Adsit nobis, Domine, gratiæ tuæ efficacis auxilium, ad tempus præteritum bonis operibus redimendum: ad tempus præsens virtutum actibus fructuosè impendendum: ad tempus futurum in amore Tuî quàm optimè collocandum; ut magna conquiramus merita in terris, quibus digni reddamur, æternùm Te glorificare in cœlis.



*Aspirationes.*

I. *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis.* 2. Corinth. c. 6.

II. *Caro mihi valent stilla temporum.* S. Aug. L. I. Conf. c. 21. *Ama & fac quod vis: tempus bene impenditur, dum amoris sancto donatur.* S. Aug. in Joan.

III. *Dum tempus habemus, operemur bonum, ad omnes, maximè ad domesticos fidei.* Ad Gal. c. 6. 10.

## P A S S U S XXVI.

Charitas in conformitate cum voluntate Divina, seu in resignatione.

## T E X T U S.

*Fiat voluntas tua, sicut in caelo & in terra.* Matth. c. 6.

*Cognitio.*

**R**esignatio est actus charitatis Divinae, quo homo voluntatem suam cum Divina in omnibus conformat. Amantium enim solet esse, unum velle & unum nolle:  
cor